

97. a. 3. ad 3.) Jure Civili, ut docet Glossa in L. Si quis major 41. Cod. De Transactionibus, Perjuri in juramento promissorio alteri nocivo sunt ipso facto infames, infamia scilicet civili. Non autem Perjuri in juramento assertoris, & promissoris, soli Deo factis: quos tamen Judex potest etiam per sententiam infamia notare, & aliis poenis arbitrariis mulctare, non secus ac blasphemos, & alios peccantes contra solum Deum. Unde in multis locis puniuntur præcissione manûs; apud Scytas plectebantur poena capitis; apud Judæos manuum pedumque extremorum abscissione. Jure Canonico Caus. 6. q. 1. c. Infames 17. Quicumque perjurus notorius est ipso facto infamis, infamia facti scilicet, quæ non est poena canonica, nec inducit irregularitatem, sed tollitur bona vita, oblivione, mutatione loci, ut docent Auctores. Si autem irrogatur, & declaratur per sententiam Judicis, ut cum quis de perjurio est condemnatus, tunc est infamia Juris, inducens irregularitatem, nec tollitur per poenitentiam, oblivionem, aut mutationem loci. Ita ibidem cap. Quicumque 18. & Caus. 22. q. 1. cap. ultimo decernitur, ut pro crimine perjuri poena gravissima in foro conscientie imponatur, qualis pro homicidio, adulterio, &c. In summa ipso jure, seu ante sententiam Judicis nulla censura, seu poena canonica ob perjuri incurratur, sicut docent Canonistæ apud Layman hic cap. ult. n. 12.

DIGRESSIO HISTORICA.

De Reprehensione S. Petri a S. Paulo.

Utrum sincerè, an simulatoriè S. Paulus S. Petrum reprehenderit?

AD ART. II. PRÆCEDENTIS DISSERT.

Factum sic refert S. Paulus ad Galat. 2. Cum autem venisset Cephas Antiochiam, in faciem ei restiti, quia reprehensibilis erat. Prius enim quam veniret quidam a Jacobo, cum Gentibus edebat: cum autem venissent, subtrahebat, & segregabat se, timens eos qui ex Circumcisione erant: Et simulationi ejus consenserunt ceteri Judæi, ita ut Barnabas duceretur ab eis in illam simulationem. Sed cum vidissem, quod non rectè ambularent ad veritatem Evangelii, dixi Cepha coram omnibus: Si tu, cum Judæus sis gentiliè vivis, & non Judicè: quomodo Gentes cogis Judicari? Circa hoc factum itaque actis, ut jam dixi, concertatio fuit inter S. Hieron. & S. Aug. ut patet ex hujus Epistolis, & maxime ex Ep. 19. Hieronymo contentende cum quibusdam Græcis, ex conventione inita inter S. Petrum & S. Paulum, Petrum, non ex animo, sed honesta dispensatione simulasse observantiam legalium; & Paulum, non sincerè, sed simulatoriè Petrum reprehendisse, ut sic Judæos a legalium observatione averterent. Augustino e contra propugnante Petrum verè legalia observasse, & in hoc imprudentè egisse, ideoque sincerè a Paulo, & non simulatoriè, fuisse reprehensum. Cum quo

Dico: (1. 2. q. 103. a. 4. ad 2.) Paulus verè & ex animo reprehendit Petrum, & non simulatoriè. Ita cum Aug. Tertullianus, Cyprianus, Cyrillus Alex. Gregorius magnus, & S. Thomas. Prob. (Ibid.) Nefas est credere aliquid falsum esse in Epistolis Pauli, quæ in tota Ecclesia habentur constantè pro Scripturis Canonice; atqui ex Ep. ad Galat. 2. constat, Paulum ex animo, & non simulatoriè reprehendisse Petrum: ergo. Prob. Minor. In ea dicit Apostolus, se restitisse in faciem Petro, Quia reprehensibilis erat, & non rectè ambulare ad veritatem Evangelii ergo eum, non immeritum, ex animo, & non simulatoriè reprehendit Paulus.

Porro adverte, (Ib.) non peccasse Petrum in hoc, quod ad tempus legalia observabat; quia hoc ipsi tunc adhuc licebat tanquam ex Judæis converso, quod, & non semel fecit Paulus ipse, ut dicemus modo; sed peccabat in hoc, quod circa legalium observantiam nimiam diligentiam intempèstivè adhibebat, ne scandalizaret Judæos, ita quod ex hoc sequeretur Gentilium scandalum. Cum enim a paucis degeret Antiochiæ, promiscuè vivebat cum Gentibus conversis, quibuslibet cibis, etiam Lege vetitis, ut ipsi vescens. Hæc eo agente supervenere ab Hierosolymis ex Judæis Christiani, nondum plauè Legem Moysi deducti, qui Gentium consortia ferrent iniquis. Ne ergo eos offenderet, Petrus a mensa Gentilium se subtraxit. Quo facto Petri, Capitis & Principis Ecclesie, existimantur Gentes, ceremonias Legis Judicæ adhuc esse necessarias ad salutem, ac proinde Paulum non rectè hactenus eas docuisse. Fuit

ergo istud peccatum veniale, non erroris in fide, sed in facto, & imprudentia.

Nec valet, si dicas cum Baronio ad ann. Christi 51. Petrum dici Reprehensibilem a Paulo, non ratione operis jure ritè ex dispensatione patri a Petro, sed quia ex illo opere oborta res est meritò reprehendenda, nimirum quod Petri exemplo Gentes ad judaizandum impellerentur: non valet inquam, injustè enim quis ob alterius peccatum reprehenditur, cujus nulla ratione est particeps. Sic actionibus Christi multoties Judæi offensi sunt: quis ideo reprehensionis obnoxium fuisse Salvatorem dixerit? Iniquus ergo fuisset Paulus suam animadversionem dirigens in Petrum, nisi aliquatenus deliquisset.

Solvuntur Objectiones.

Obj. 1. Paulus non potuit ex animo, & seriò reprehendere in Petro, quod ipse licitum existimabat, & quod ipse fecit, alias fuisset iniquus in sua reprehensione; atqui Paulus existimabat legalium observantiam esse licitam, & ipse ea observavit, dum Timotheum circumcidit, dum sibi more Nazæorum caput totondit, sique purificavit cum Judæis: ergo, non seriò, &c. R. D. Maj. Si Petrus id fecerit prudenter, & sine scandalo fraterno, C. Maj. si Petrus id fecerit imprudentè, & cum scandalo fraterno, N. Maj. ad hunc sensum distingo Minorem: Paulus observavit legalia prudenter, & sine scandalo fraterno, C. Min. Imprudentè, & cum scandalo fraterno, N. Min. Longè disparitaque fuit factum Petri, & Pauli. Paulus absque Gentilium offensione observavit legalia inter Judæos, ut eis persuaderet se non damnare Legem Mosaicam tanquam malam. Neque ob se subduxit a conventu Gentilium; undè nullam ipsis præbuit ansam suspicandi, quòd necessaria esset ad salutem Legis observatio. Undè Timotheum circumcidit, quia ex matre Judæus erat; Titum non circumcidit, quia erat ex utroque Parente Gentilis. At verò S. Petrus imprudentè se gessit, quia in Civitate, quæ Gentilium erat, prius cum Gentibus convescens, postea verò propter observationem Legis ab eorum mensa se subducens, ne offenderet Judæos advenientes Hierosolymis Antiochiam, occasionem præbuit Gentibus existimandi necessariam esse abstinentiam a cibis Lege Mosaicæ vetitis, quia videbant Principem Apostolorum in ea re prius factum suum corrigere. Uno verbo Petrus cogebat Gentes judaizare conversationis exemplo, licet non docerent imperio, ut ait Aug. cujus est hæc solutio Ep. 19. non verò Paulus.

Inst. Si S. Petrus non se subduxisset a mensa Gentilium, non peccasset, quamvis inde fuisset offensus Judæi: ergo nec peccavit se subducendo a mensa Gentilium, cum ipsorum offensione. Patet Anr. quia Paulus ipse non se subducebat a Gentilium mensa, etiam inde Judæi possent offendi. R. Neg. Conseq. Disparitas est, quòd Judæi immeritò offensi fuissent ex convictu Petri cum Gentilibus, & scandalumque fuisset passivum ex illorum parte, non activum ex parte Petri; quia Apostoli prædicabant pacem, jugum Legis non esse imponendum Gentilibus, & legalium observantiam desinere, idque in Concilio Hierosol. Præside Petro decreverant. At verò Gentiles meritò offendebantur ex abstractione Petri a suo convictu, quia hoc posterius ejus factum ipsis videbatur prioris retractatio, & animata quædam prædicatio, qua docebatur, Legem esse servandam.

Obj. 2. Petrus, non secus ac Paulus ipse, ceterique Apostoli Legis Mosaicæ ritus non ex animo observarunt, sed pia quadam dissimulatione, seu honesta dispensatione, ut Judæos lucrifacerent: ergo non erat verè reprehensibilis, nec ipsum ex animo Paulus reprehendit. Prob. Ant. ex ipsis Apostoli verbis prius cit. ubi de facto Petri dicit: Et simulationi ejus consenserunt ceteri Judæi, ita ut Barnabas duceretur ab eis in illam simulationem: ergo. Confirmatur ex eodem Apostolo 1. ad Cor. 9. de se ipso dicente: Factus sum Judæis tanquam Judæus, ut Judæos lucrifacerer: ita, qui sub Lege sum, quasi sub Lege essem (cum ipse non essem sub Lege) ut eos, qui sub Lege erant, lucrifacerem: ergo. R. N. Ant. Ad probationem dico, factum, & exemplum Petri vocari a Paulo simulationem; quia Petrus simulabat, se Legem observare quasi adhuc obligantem, cum reverà id non intenderet, utpotè quam sciret abolitam, sed solum intenderet se moribus Judæorum pro tempore accommodare, ne illos offenderet. Ad confirmationem, N. Conseq. non enim sensus est, quòd Apostolus factus sit Judæis tanquam Judæus, quòd simularet se observare Legem Mosaicam; alias sequeretur, ipsum pa-

ritè simulasse observantiam Ethnicarum superstitionum cum ibidem dicat, factus sum is, qui sine Lege erant, tanquam sine Lege essem, ut eos lucrifacerem. Factus est ergo Judæis tanquam Judæus, non simulantis actu, sed compatientis affectu, inquit Aug. Ep. 9. Sicut ministrans infirmo fit tanquam infirmus cum illo, non quòd se febres habere mentiat, sed quia condolentis animo cogitat; quemadmodum sibi ministrari vellet, si ipse ægrota-ret: ita, inquam, Apostolus factus est Judæis tanquam Judæus; sic enim eorum infirmitati compatiens quandoque Legem observabat, ut ostenderet non esse malum; quandoque non observabat, ut ostenderet non esse amplius necessariam ad salutem.

Inst. Legalia post Passionem Christi erant antiquata & mortifera: ergo neque Petrus, neque alii Apostoli illa observarunt, aut observare potuerunt sincerè. Probat. Ant. ex Apost. ad Gal. 5. dicente: si circumcidamini, Christus nihil vobis proderit. R. N. Ant. (Ib.) scilicet pro tempore, quo nondum erat sufficienter promulgatum Evangelium, tunc enim erat mortua quidem, sed nondum mortifera, nisi pro eis, qui ea observabant ut necessaria ad salutem, quasi hdes Christi non justificaret; & hoc sensu intelligendus est Apostolus citatus.

Repones: Legalia erant bona, vel mala: si bona, non fuit reprehensibilis Petrus, quòd ea observaverit: si mala, ergo Apostoli non sincerè, sed simulatoriè ea observarunt. R. Tunc non esse mala, & hoc sensu negativo esse bona, non autem absolute quasi aliquam vim adhuc habentes, aut necessaria forent ad salutem; erant enim, ut dixi, mortua, licet nondum tunc mortifera. Nec in hoc peccavit Petrus, quòd ea absolute observaverit, sed quòd ea observaverit intempèstivè & imprudentè. Replicabis: Si non sint malæ ceremoniæ Legis, ergo nos

possumus etiam nunc eas observare, quod tamèn est hæresis Ebionis, Cerinthi, & Nazæorum. R. N. Cons. distinguenda sunt enim tempora. Tunc, cum Lex Evangelica nondum esset sufficienter promulgata, poterant adhuc observari Legis ceremoniæ, ut Synagoga cum honore deduceretur ad sepulchrum; sed promulgata plene Evangelii veritate mortifera facta sunt: unde, qui eas nunc observaret, haberetur violator sepulchri, quo multis a sæculis condita est Synagoga. Ita Aug. Ep. 19.

Obj. 3. Auctoritatem veterum, qui Apostolos legalia similitate observasse, & Paulum similitate reprehendisse Petrum asseruerunt. Hi sunt Origenes, Didymus, Apollinaris Laodicæ-nus, Alexander, Eusebius Emisenus, Theodorus, Heracleotes, & Chrysostomus, quorum Sententiam Hieronymus omni conatu propugnaverit; ergo. Porro simulationem hanc (Ib.) de qua sæpè in hac Digressionem, non sic intelligebat laudari Auctores, quasi actus Legis secundum rei veritatem non faceret Apostoli, sed quòd non facerent tanquam observantes Legem ceremonias: sicut, si quis pelliculam virilis membri abscederet propter sanitatem, non causa legalis circumcisions observanda. R. Veterum illorum, quos in suæ Sententiæ patrocinium adducit Hieronymus, quatuor ab ipso notatos esse hæreseos, nempe Origenem, Apollinarem, Alexandrum, & Didymum, ut advertit Aug. Ep. 19. Supersuat ergo tantum tres, scilicet Eusebius, Theodorus, & Chrysostomus, quibus Augustinus opponit Cyprianum, Ambrosium, & ipsum Apost. Paulum & nos ipsi Hieronymo Augustinum: maxime cum ille Augustini rationibus victus in ejus sententiam tandem descendit, ut testatur Aug. Ep. 26. ad Oceanum; & constat ex ipso Hieron. libr. 1. Dialog. adversus Pelagianos c. 8. ubi fatetur apertè, Petrum non rectè observasse in Evangelii veritate, & reprehensibilem fuisse.

DISSERTATIO X. DE SACRILEGIO.

Div. Thom. Quest. 99.

ARTICULUS UNICUS.

Quid, & quomplex sit Sacrilegium?

Dico 1. (Q. 99. a. 1. o.) Sacrilegium dicitur ab eo, quod Sacra legit, seu furatur. Undè Sacrilegium ex prima nominis impositione est furturn rei Sacre: extentione autem significationis, est omnis violatio, seu indigna & irreverens tractatio rei Sacre. Sicut enim ex eo, quod aliquid ordinatur ad bonum finem, sortitur rationem boni, ita etiam ex hoc, quòd aliquid deputatur ad Dei cultum, efficitur quiddam Divinum, & sic ei quædam reverentia debetur, quæ refertur in Deum; & ideo omne illud quod ad irreverentiam rerum Sacrarum pertinet, ad injuriam Dei pertinet, & habet Sacrilegii rationem.

Dixi: rei Sacre; (Ib. a. 3. ad 3.) quod intellige formalitè reduplicativè; non enim omnis violatio, seu irreverens tractatio rei, quæ est Sacra, est Sacrilegium; sed tantum quando violatur, seu irreverenter tractatur res Sacra in eo, quo est Sacra. Quapropter sedulo est advertendum, ad quid res sit sanctificata, & utrum contra id agatur. Nam v. gr. Religiosus per votum solemne castitatis est sanctificatus ad mundiciem carnis, & ideo erit Sacrilegus, si fornicetur; secus, si detrahat, mentiatur, perjuret, &c. quia ad hæc non est sanctificatus. Similitèr ager Ecclesie est sacer quoad exemptionem ab oneribus sæcularibus & jurisdictionibus, & ideo sacrilegium erit, si illis gravetur; secus, si quis ibi fornicetur, quia non est sacer ad puritatem a libidine.

Pro cuius clariori intelligentia nota, duplicem quandoque rebus Sacris inesse sanctitatem, seu sanctificationem; unam ex ipsa sua institutione, seu dedicatione: v. gr. quando Templum, aut vasa cultui divino consecrantur, virgo per votum Deo dicatur; alteram priori supervenientem, ut si persona jam Sacra, v. gr. Clericus extimatur a Tributo, vel a jurisdictione sæculari; item dum prohibetur et Templo violentèr aliquem extrahi: hæ enim immunitates, seu privilegia non debentur his rebus ex sua primæva dedicatione, seu sanctificatione, sed per Legem Ecclesie supervenientem: hæc autem immunitas, seu privilegium dicitur sanctitas; quia ordinatur ad priorè sanctitatem tuendam, & illius gratia conceduntur. Actiones ergo, quæ sunt contra alterutram sanctitatem sunt Sacrilegia.

Thol. Billuart. Secunda Secundæ.

Ex quo colliges, actiones, quæ sunt directè contra primariam sanctitatem rei Sacre, ex natura rei independenter a Jure positivo esse sacrilegas, ut violare Virginem Sacram, destruere Templum, cultum Divinum in eo impedire, & sic multa alia similia, quæ quis agit sine necessitate, censetur habere contemptum rei sacre & viles reputare: contemptus autem talis est ex natura rei sacrilegus. Quæ verò non directè contrariantur ei, ad quod res Sacre primario sunt sanctificatæ, aut contrariantur tantum secundarie sanctificationi, sunt sacrilegia, non ex natura rei, sed ex Jure positivo ita disponente. Hujus generis sunt v. gr. trahere Clericos ad Tribunal sæculare, ipsos, aut eorum bona tributis onerare; confugiens ad Ecclesiam vi extrahere; ita meo sensu verberare Clericum; non enim videtur hæc, immunitas ipsi debita vi primæ suæ sanctificationis: secus, si occideretur, aut mutilaretur, sic ut ineptus fieret cultui divino. Idem censetur de effusione sanguinis, aut seminis in templo, & pluribus aliis, quæ Jure positivo prohibentur in reverentiam rei Sacre: nam seminis, aut sanguinis effusio non videtur directè magis contraria cultui divino, ad quem primario sunt sanctificata templa, quam cetera peccata v. gr. mendacia, detractiones, &c. quæ, ut modo dicam, non sunt sacrilegia. Nota tamèn, quòd actio licita de se, vel illicita, quæ fieret in contemptum rei Sacre, foret ex natura rei sacrilega ratione prævæ intentionis, ut jam inui supra.

Sed difficultas est, quid requiratur, ut res censeatur Sacra. Quidam existimant requiri, quod publico ritu, aut institutione ad cultum sit deputata, nec ad id sufficere quodlibet privatum propositum, aut votum. Undè inferunt, violationem voti simplicis castitatis non esse sacrilegium. Ita Layman hic n. 2. ex Jure consulto L. In tantum. L. in Sacra ff. de rerum divisione, citans Suarez & Greg. Tholos. Verùm ad consecrationem personæ id communiter non requirunt Auctores, qui passim habent violationem voti simplicis castitatis pro sacrilegio. Imò Cajet. hic sic expressè docet contrarium, ut velit omnem qualicumque voti simplicis, puta jejuni voti, transgressionem esse sacrilegam; quòd tamen videtur alienum communi sententia.

Ecce 2

tia, quæ tantum id asserit de transgressione voti simplicis casuatis, quia per illud corpus videtur Deo specialiter consecratum ad munditiam; in aliis autem materiis nihil videtur violari, quod sit ita Deo specialiter sacrum secundum moralem considerationem, ideoque late & minus proprie dicendum sacrilegium, sed potius perfidia, & inhæditas. Non est tamen improbabilis Sententia Cajetani; pro qua vide Lotb. Tract. 16. q. 9. a. 2.

Dices: ut aliquis locus, aut res censeatur Sacra, requiritur, quod auctoritate publica deputetur ad cultum divinum, ut dicitur infra: ergo similiter persona. R. N. Cons. Disparitas est, quod persona vovens non se deputet Deo, nisi quoad actus proprios, unde sufficit propria voluntas. Locus autem, aut res deputatur cultui divino quoad usum communem, sicque requiritur auctoritas publica.

Dico 2. (Ibid. a. 2. o.) Sacrilegium est speciale peccatum oppositum Religioni: quia invenitur in eo specialis ratio difformitatis opposita Religioni, qua videlicet violatur res sacra per aliquam irreverentiam.

Dico 3. (Ibid. a. 3. o.) Sunt tres species Sacrilegii: quia, cum debeat reverentia rei sacre ratione sanctitatis, tantum sacrilegium est gravius, quantum res sacra, in quam peccatur, majorem obtinet sanctitatem; ideo secundum diversam rationem sanctitatis rerum sacrarum, quibus irreverentia exhibetur, necesse est distingui species Sacrilegii; atque attribuitur sanctitas 1. personis sacris, id est, divino cultui deputatis ut subjectis sanctitatis, qua formaliter sunt sancta. 2. Locis, ut contentivis personarum & rerum sacrarum. 3. Aliis rebus relative, quatenus causant, vel significant sanctitatem, aut ad sanctos ordinantur alio modo: ergo sunt tres species sacrilegii; una contra personam sacram. Secunda contra locum sacrum. Tertia contra rem sacram, strictius sumpto nomine rei prout distinguitur a persona & loco, quarum singulæ in varias species, seu gradus subdividi possunt.

Quantum ad 1. speciem fit 4. modis. 1. Inferendo manus violentas in Clericum. 2. Violando luxuriose corpus Deo sacrum per votum continentie. 3. Trahendo personam Ecclesiasticam ad Tribunal seculare. 4. Exigendo ab iis per potestatem secularem Tributa & Vestigia. Si tamen hæc duo ultima fiant aliter, quam Ecclesie, seu Romani Pontificis indulta permittant.

Quantum ad 2. speciem notandum juxta Canonistas, locum sacrum dici eum, qui auctoritate publica deputatus est ad sacrificium Missæ, Ecclesie sacramenta, & divina officia celebranda, tametsi nondum sit consecratus, aut benedictus: C. Ecclesie. De immunit. Ecclesiarum (Layman, qui l. 4. Tract. 10. c. 7. n. 4. §. 6. ita censet, tamen libr. 5. Tract. 5. c. 5. dicit, contrariam sententiam observari in praxi) quales sunt Ecclesie & Cæmeteria, non tamen Sacristie, aut cameræ Ecclesie adjacentes. Item nec oratoria privata, aut eremitoria non consecrata, aut benedicta, licet Episcopus dederit licentiam in eis Missam celebrandi, quia ad nuntium Domini possunt nihilominus ad usus profanos converti: nec etiam Xenodochia, quæ auctoritate Episcopi non sunt erecta. In favorabilibus tamen, puta quoad immunitates, locis sacris annumerantur Sacristie, cameræ adjacentes Ecclesie intra 30. passus, & Monasteria. Caus. 17. q. 4. c. Quisquis 21. Ad eam ergo speciem pertinent omnia, quæ sunt contra sanctitatem loci sacri. Et 1. quæ illam polluant, scilicet homicidium culpabile, aut injuriosa sanguinis effusio, quæ sit mortalis & copiosa; effusio enim dicitur plusquam aliquam guttulam: sufficit tamen vulnus infligi homini existenti in loco sacro, licet ab homine existente extrâ, aut sanguis extrâ effundatur, aut vulneratus extrâ moriatur, juxta Layman l. 5. Tract. 5. c. 5. n. 7. Item effusio voluntaria seminis. Plures, aliis contradicentibus, excipiunt casum, quo conjuges cogerentur diu manere in loco sacro cum periculo incontinentie; item sepultura excommunicati vitandi, ut infidelis. Per infidelem non intelligitur Cathecumenus; nec proles nondum nata cum matre defuncta, quia censetur pars matris. Secus existimant Sylvius 3. p. q. 38. a. 3. q. 1. si extracta a ventre matris in eodem reponatur, aut sepeliatur cum matre; quia, inquit, non censetur amplius pars matris. Sed posset quis reponere, non minus adhuc censeret moraliter partem matris, quam manum, aut pedem amputatum, & cum hæc sint odiosa, esse restringenda. Nota, quod, ut locus sacer per præcedentes actus censeatur pollutus, sic ut indiget reconciliatione, debeant esse notorii, notorietate facti, vel juris, non tamen ut sacrilegii reatus incurratur.

2. Ad eandem speciem pertinent effractio, aut spoliatio, ut incendium loci sacri, eversio Altaris. Ubi nota

quod effringens simul & spolians excommunicatur ipso facto, C. Conquesti 22. De sentent. Excomm. Non effringens tantum, nec spolians tantum.

3. Ad eandem speciem pertinet extractio violenta, aut fraudulenta personæ, quæ asyli causa ad locum sacrum confugit, exceptis iis, quos excipit Greg. XIV. Bulla Cum alias, data 1591. scilicet: Qui fuerint publici latrones, viarumque grassatores; qui itiner a frequentata, vel publicas stratas obsident, ac viatores ex insidiis aggregantur, depopulatores agrorum; quive homicidia & mutilationes membrorum in ipsis Ecclesiis, earumve cæmeteriis committere non verentur; aut qui proditoriè proximum suum occiderint; aut assassini; vel heresis, aut Læse Majestatis in personam ipsiusmet Principis rei. Sunt verba Bullæ. Circa quæ nota 1. Quod ille etiam censetur proditoriè occidere, qui occidit veneno. 2. Nominè assassini intelligitur, qui pretio conductus hominem incautum occidit. Non solum autem mandataris, sed etiam mandans privatur immunitate: quia, qui facit per alium, perinde est, ac si faceret per se ipsum, ut fert Regula Juris 72. in 6. In dubio, an reus gaudere debeat immunitate, ad Episcopum pertinet resolvere; & ubi resolvit reum non gaudere immunitate, Judex Laicus non potest eum statim extrahere e loco sacro, sed prius debet haberi licentia Episcopi, aut ejus Officialis, & interesse nomine Episcopi, aut Officialis, aut Persona Ecclesiastica.

4. Ad eandem speciem pertinet furtum in loco sacro, sive res furtiva sit illic deposita causa asyli & securitatis, sive non. Itã probabilis Sylvester, Cajetanus v. Sacrilegium, Sylvius hic, & alii. 1. Quia in Jure sic legitur caus. 17. q. 4. cap. Quisquis: Similiter sacrilegium committitur auferendo Sacrum de Sacro, vel non Sacrum de Sacro, sive Sacrum de non Sacro. Unde cum Jus non distinguat, nec nos distinguere debemus. 2. Quia ut dicitur Sylvius, hoc ipso quo locus est sacer, tanta ei debetur reverentia, ut sit asyllum omnibus rebus, quæ in eo sunt, etiam eo animo non fuerint illic depositæ; ac proinde contra loci reverentiam est, si quodlibet furtum ibi perpetretur.

5. Tandem ad eam speciem pertinet actus profani, a Jure prohibiti specialiter in reverentiam loci sacri, nempe strepitus forensis secularis, mercatura, convivia, confabulationes, &c. quæ tamen committunt non excedunt culpam venialem, nisi sit gravis excessus, aut notabilis Officii Divini perturbatio, aut scandalum.

Cætera verò peccata, sive interna, sive externa, commissa in loco sacro, quæ non contrariantur ei, ad quod sanctus est, neque Jure positivo in ejus reverentiam prohibentur, ut detractiones, mendacia, perjuria, blasphemie, & similia, non sunt sacrilegia: quia, licet hæc circumstantia loci sacri aliqualem indecentiam importent, non tamen est gravis præcisè ratione loci sacri, nec transfertur in speciem sacrilegii, quia non est violatio rei sacre, in quo est sacra. Sicut nec omne peccatum, quod committitur persona sacra est sacrilegium; sed solum id, quod est contrarium ei, ad quod est sacra, ut si Virgo Deo dicata fornicetur. Itã committitur post D. Th. hic a. 3. ad 3. contra Suarem, & alios paucos.

Quantum ad 3. speciem sacrilegii, quæ circa res sacras alias a personis locis, committitur, diversos etiam habet gradus secundum differentiam rerum sacrarum (Ibid.) Primum locum tenent Sacramenta, (Ib.) quibus homo sanctificatur, quorum præcipuum est Eucharistie Sacramentum, quod continet ipsum Christum. Ad hanc ergo speciem reducitur omnis abusus Sacramentorum, & eorum perceptio, seu ministratio in statu mortifero, sed maxime violatio Sacramenti Eucharistie, quod est gravissimum sacrilegium inter ea scilicet, quæ pertinent ad hanc tertiam speciem; (3. p. q. 80. a. 5.) gravis enim foret sacrilegium, quod committeretur in ipsam Christi personam in propria specie se exhibentem, quale fuit Judæorum Christum crucigentium. Nec obstat, quod in Eucharistia sit etiam persona Christus, quia Christus non se exhibet in forma personæ, vel rei animate, sed per modum cibi & potus. Et ideo S. Doctor hic non ad primam, sed ad hanc 3. speciem sacrilegii refert.

Secundum locum obtinent (Hic a. 3. o.) vasa ad susceptionem, seu administrationem Sacramentorum consecrata, vel benedicta: item cruces, imagines, reliquie Christi, & Sanctorum: hæc etiam revocari possunt sacrum Christum, Oleum benedictum, Sacra Nomina Christi & Sanctorum, Sacrum Evangelium, & tota Scriptura Sacra, Hymni, Cæremonie Ecclesiasticæ, ita ut eorum indignæ tractationes sint sacrilegæ, plus vel minus secundum quod res sunt plus, vel minus sacre: ut si bibas in sacro Va-

56

se, ut fecit Balthasar: si concules imagines: si verba Scripturæ adhibeas ad facietas, amatoria, ad hæresim stabilendam, &c. Hæc etiam referri potest omnis irreverentia, quæ committitur in recitando Divino officio, sacris Cæremoniis obeundis, in musica lasciva, aut profana rebus divinis adhibita.

Tertium locum obtinet, (Ib.) quæ pertinent ad ornatum Ecclesie & Ministrorum, ad quæ reduci possunt cerei, aqua benedicta, & alia Sacramentalia, ut si vestibus Sacerdotalibus utaris ad usus profanos, aut ad ludicia. Quarto loco (Ib.) reponuntur jura & bona Ecclesiastica, hoc est, bona depurata, seu legata ad sustentationem Ministrorum & Ecclesie obsequium, tam mobilia, quam immobilia: hæc enim, licet in se nullam sanctitatem habeant, tamen Jure Canonico ob reverentiam, quæ debetur cultui Divino, ad quem ordinantur, debent esse immunia a secularium invasione, detractione, & defraudatione, quæ ideo in Jure sæpe dicuntur sacrilegæ: secus, inquit Layman libr. 4. Tract. 10. c. 7. n. 15. quando per legitimam distributionem facta sunt propria pauperum, aut Ministrorum Ecclesie.

Sacrilegii hujus speciei adjungit Lessius violationem diei Dominicæ & Festorum; quia juxta ipsum sacra sunt, & ipsis debetur reverentia quædam, quatenus sunt mensura sacrarum actionum. Sed vult ea tantum violari per opera servilia, aut prohibita, non per omissionem sacri; quia juxta ipsam sacrilegium sonat actum positivum. Quod tamen non videtur universaliter verum, saltem moraliter loquendo: licet enim sacrilegium plerumque sit peccatum commissionis, interdum tamen potest esse omissionis, ut si v. gr. Ecclesie Ministri sacrum Fontem Baptismalem ab immunditiis non custodiant, sacra Vasa, Corporalia, & alia lineamenta lavare aut refecere negligant, & maxime si sint negligentes in asservatione & renovatione SS. Eucharistie: videtur, inquam, talis negligentia posse dici sacrilega moraliter loquendo.

Petes 1. utrum sacrilegium sit semper peccatum mortale? R. Sacrilegium, quod fit ex directa & formali intentione res sacras inhonorandi, est semper mortale propter

contemptum formalem rei sacre, qui reducitur in Deum. Si vero fiat ob alium finem, admittit levitatem materie. Ad quod discernendum tenenda est regula S. Doct. (Ib.) de qua jam supra, nimirum: *Tantum sacrilegium est gravius, quantum res sacra, in quam peccatur, majorem obtinet sanctitatem.* Adde & quo gravior est profanatio. Sic furtum leve in loco sacro est peccatum veniale.

Petes 2. quæ sit poena conveniens sacrilegiorum? R. (Ib. a. 4. o.) quod in poenis duo sint consideranda. Primum, æqualitas cum culpa ad hoc, quod poena sit justa, ut scilicet in quo quis peccat, per hoc torqueatur, ut dicitur Sap. 11. Et hoc modo poena conveniens sacrilego, qui sacris injuriam infert, est excommunicatio, per quam à sacris arceatur. Nota tamen, quod, licet hæc sit poena conveniens sacrilegis, non ideo omnes sacrilegos ipso facto esse excommunicatos, sed tantum Clericorum percussores, cap. Si quis suadente caus. 17. q. 4. Effractores simul & spoliatores Locis sacri. c. Conquesti tit. de Sent. excomm. Gabellarum impositores, aut exactores a Clericis in Bulla Caneu casu 18.

2. (Ibid.) Consideratur in poenis utilitas. Nam poena quasi medicinæ quædam infligitur, ut his terribi homines a peccando desistant. Sacrilegus autem, qui sacra non veretur, non sufficienter videtur a peccando arceri per hoc, quod sacra ei interdiciuntur, de quibus non curat: & ideo secundum leges humanas adhibetur poena capitis Cod. l. 1. tit. 2. l. 5. 10. 14. secundum vero Ecclesie statura, quæ mortem corporalem non infligit, adhibetur poena pecuniaria, Caus. 17. q. 4. cap. Quisquis. cap. Omnes Presbyteri. cap. Qui Subdiaconum, ut saltem poenis temporalibus a sacrilegis revocentur. Opportune hic advertit Sylvius ex citatis Canonibus & ex D. Thom. manifestum esse Ecclesiasticos Judices habere potestatem infligendi delinquentibus poenas pecuniarias: quod etiam agnoscunt Principes seculares in Capitularibus Francorum l. 3. c. 25. & l. 4. c. 15. relatis in citatis Canonibus Omnes Presbyteri: & Qui Subdiaconum. Pro tota hæc materia vide Layman libr. 4. tract. 10. cap. 7. & libr. 5. cap. 5.

DISSERTATIO XI.

DE SIMONIA.

Div. Thom. Quæst. 100.

ARTICULUS I.

Quid sit Simonia

Dico 1. (Q. 100. a. o.) Simonia communiter definitur, *Studiosa voluntas emendi, vel vendendi aliquid spirituale, vel spirituali annexum.* Explicatur: Dicitur *Voluntas*, (Ibid. ad 2.) id est, actus voluntatis; sicut enim justitia & partes ejus sunt in voluntate tanquam in subiecto, ita & omnia vitia illis opposita, & consequenter Simonia dicitur *studiosa*, id est, deliberata. Dicitur (Ib. ad 5.) *Emendi, vel vendendi*, per quod intelligitur omnis contractus non gratuitus, id est, contratus, quo res spiritualis aliquo pretio temporali, vel alia re pretio æstimabili appetitur & compensatur, ut sunt locatio, conductio, commutatio, do ut des, do ut facias, facio ut des, &c. Ad simoniam ergo proprie dictam essentialiter requiritur, quod temporale intendatur explicitè, vel implicitè ut pretium rei spiritualis: alias non erit venditio; aut emptio, neque quisvis alius contractus sic onerosus, qui nomine venditionis, vel emptiois possit intelligi. Et hæc est communis sententia Theologorum & Canonistarum, & maxime S. Thomæ, non solum in definitione tradita, sed etiam in sequentibus articulis, ubi probat non esse simoniam aliquid temporale recipere pro concionibus, pro orationibus, & aliis similibus spiritualibus, modo non recipiatur ut pretium, sed ut stipendium, vel aliquo alio honesto titulo.

Nec obstat, quod hic videatur accusare simonice permutationes Beneficiorum, in quibus temporale non intervenit. Non enim S. Doctor dicit, eas esse simoniacas, ut dixerat in 4. d. 25. q. 3. a. 3. ad 8. Sed non fieri *absque periculo Simonie.* Quod verum est, quia periculum est, ne sic permutantes conveniant de aliquo pretio, vel compensa-

tione temporali. Aliunde, cum a Jure prohibetur fieri has permutationes auctoritate privata, sunt simoniacæ simonia Juris Ecclesiastici, ut dicitur infra.

Dicitur *Spirituale*, hoc est, supernaturale, nimirum ut a Deo Auctore supernaturali proveniens; aut ad Deum ut salutis spiritualis Auctorem ordinans. (Art. 2. & 3. o.) Est triplex: Spirituale per essentiam, ut gratia, Jurisdictio Ecclesiastica, &c. Spirituale causaliter, quatenus est causa spiritualis effectus, ut Sacramenta. Spirituale effectivè, quatenus provenit a causa spirituali, id est, sanitas collata per gratiam miraculorum. Dicitur, *vel spirituali annexum* (Art. 1. ad 6.) Id non est sic accipiendum, quasi non sit spirituale, sed quia non est spirituale secundum se, & ex se, licet ita sit per adhesionem ad spirituale. Sicut, licet corpus secundum se non vivat, vivit tamen ex unione.

Dico 2. Simonia non solum prohibetur Jure positivo causa. 1. qq. 1. & 2. & L. 5. Decret. toto titulo 3. (Ib. o.) Sed etiam est ipso Jure nature mala. Prob. 1. (Ib.) Res spiritualis utpotè superioris ordinis non potest aliquo terrene pretio æstimari & compensari, absque eo quod deprimat, & ei gravis injuria irrogetur. Unde Proverb. 3. de Sapientia dicitur: *Pretiosior est cunctis opibus: & omnia, quæ desiderantur, huic non valent comparari.* Et Petrus Act. 8. in ipsa radice Simonis pravitatem condemnans, dixit: *Pecunia tua tecum sit in perditionem, quantum domum Dei existimasti pecunia possideri;* atquin hoc sita est Simonia: quod res spiritualis pretio terrene æstimetur & compensetur: ergo. Prob. 2. (Ib.) id non potest esse debita venditionis materia, cujus venditor non est dominus; atqui homo non est dominus spiritualium rerum, sed dispensator tantum, secundum illud 1. Corinth. 4. *Sic nos existimet homo ut Ministros Christi & dispensatores Mysteriorum Dei:* ergo. Probatur 3. (Ib.) Venditio repugnat spiritualium origini, quæ ex grati-

14